


**05  
A  
197**



92

C. D.

DISSERTATIO POLITICA

VULGATIONIORA QUÆDAM,  
TUM FORMANDI PRINCIPIS INDOLEM  
TUM STABILIENDI PRINCIPATUS, TRA-  
CTANS FUNDAMENTA

PRÆSIDE

M. JOH. MICHAELE Straussen/  
Fac. Phil. Adj. & p.t. Decano

*Publicè ad ventilandum proposita.*

â

CONRADO Straussen.

A. & R.

*In Auditorio Majori add. 17. Septembris hor. antemerid.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

Anno M. DC. LX.

gr

# ADDITIONS OR TATEWOOD

WILHELMUS VON

卷之三

117. *Guillermo de Vivero*

John W. Clegg, Esq., 1871-1872

This image shows a single, horizontal strip of aged paper. The paper has a warm, light brown or tan color, characteristic of old documents. It features a fibrous texture with prominent, irregular vertical streaks of darker brown and tan, likely from the paper-making process. Scattered across the surface are numerous small, dark brown spots and specks, which could be dust, foxing, or remnants of adhesive. There is no text, handwriting, or printed content on the page.

卷之三

卷之三



054 197

C. D.

## PRÆFATIO.

**S**olent rerum politicarum periti, uti magnificare cum primis suam doctrinam & anteferre ceteris: Ita eorum, qui illi incumbunt officia, distinguere cautius & quasdam veluti habere sectas. Qui originem Rerum publ. & varias earundem species, cum quid in quaq; liceat impunè, tantummodò tractant, eosdem scholasticæ magis gubernandi arti accensent, & digne quidem, quæ rebus adhibeatur aliquando, modo excolatur. Ceterorum qui latius progrediuntur, imperiorum seriem ex subditorum habitu & usurpatâ sapienti imperandi ratione præprimis edocti, agiliorem putare indolem & promptam ubiq; ad subeunda Reipubl. munia. Non quod illorum minus necessariam aut scrupulosam existiment Philosophiam; sed quod illustrem peraq;: inesse tamen huic tanquam fundamentum & addiscendam prius suadent. Mibi etiam de dando quodam profectuum experimento cogitanti nuper, posteriorem tractandi, obvenit occasio. Seu quoniam arduum perinde noverim, utrâ proficere velis; sive quod non sufficieturum altioribus, difficultas operis excusabit. Temeritatis est implicari majoribus quam quæ expedire possis; at verò ignavia etiam testis meticulosus animus creditur, qui in iis facere periculum nolit, in quibus dissipere quandoq; prudentiâ cedit. Igitur non attingenti accuratius omnia, dabit benevolè veniam. Lector, & si quæ imprudentius successe in stylum, emendabit potius, quam censebit.

A 2

CAP.

## Continet educandi principis artem..

I. Princeps pietati sit deditus.  
Ratio 1. A necessitate.  
Buchn. diss. acad. 12.

II. Ab utilitate.

Clapmar. 2.  
arcan. 9.

Lipsius lib. 1.  
mon. pol. c. 2.  
Arist. 5. pol.

III. Literis erudiatur.

Ratio Ab utilitate quam studium liberalium artium secum fert Schönbörn.  
l. 2. pol. c. 32.

Buchnerus diss.  
acad. vol. 1.  
p. 444.

Cunaeus orat.  
p. 110.

Tac. 4. A. 33.  
Cominaeus 10.  
hist.

II. A remotione contrarij.

S. 1. Agitantem igitur de formandâ Principis indole idonea, pietati prius jussero deditum & erga DEUM venerationi. Præterq; enim quod virtutum non obstetrix sedula tantum sed fidelissima custos sit, ut nec ullam honesti speciem aut possit concipere aut continere animus, nisi addisciplinam ac pietatem subactus probè: Quam plurimum etiam emolumenti ad defauandam plebem superstitionis reverentiae opinione, confert. Verentis enim Dei majestatem colunt magnitudinem subditi. Evulgato quasi certo inter eos experimento, esse quantum propiorem Deo pietate Principem, tanto quoq; feliciorem. Sed & securitati Principis consultum puto. Qui enim aspernantes crediderim potentiam Regis aut ituros in partes? Utroq; superum obseruit cultus, quorum contra niti autoritati tam irritum esset quam blasphemum.

S. 2. Sat pietate ita imbuto Principi usurpanda eruditio est. At quam ratione plurimi prudentum incertum ac dubium putavere. Competum equidem literarum scientiâ mortalium mitigari cum primis indolem & reddi mansuetâ. Præterea quæ male facta sunt ex literis addisei. Non tam prorervæ malitia Regem futurum, qui excedendi sciverit impetum, modum non norie. Verlari ob oculos facinora & quam coercendus poenâ ideo conscientiam testari. Et dici vix poterit quantum naturas incendat egregias, quæ de nominis celebritate concipitur æmulatio. Quo accuratius enim laudantur & commendantur viri magni, eò magis & excitantur alii ad virtutes eorum sequendas & imitandas. Hoc vero apprimè habent utile bonarum artium studia, quod omnis exempli documenta in illustri posita prebeant intueri, undè haud tantum quod imiteris, capias; sed aliorum quoq; eventis docearis. Sunt tamen qui Principem effeminari literis & fieri mollem dicunt. Ut & vitæ eundem & rebus gerendis esse natum, non scholæ. Quin reddi potius callidos male factaq; simulandi promptos, quam bonos & rationis sanæ præscriptis ideo magis obtemperantes. Nam ex se esse perspicuum & salutarem

cru-

erudiendi artem, iis præsertim qui cætera boni sunt. Malis ad nefaria esse emolumento. At literarum cognitione haud quemq; dixerо declinasse ad malitiam. Est male feriotorum hominum nequitia, eō sæpius progesa fastigii, quò nec pertingunt monita capienda ex literarum doctrinâ, nec exempla deterrent. Effici proinde melior nequit, proterviam aliundè contrahit. Et profecto quamq; peccare perinde putandus, qui dolis rem agit, ac qui professâ grassatur vi. Haud æquali tamen expostum periculo credas Principem, qui simulatè omnia, quam qui apertè. Tiberium favor ex parte plebis sequebatur, quamdiu nullam ex virtutibus suis æquè quam simulationem amabat. Et occultum ac subdolum fingendis virtutibus donec Germanicus ac Drusus superesset, quin intestabilem sævitiâ, sed obtutis libidinibus, quis oderat? Nimirum deerat plebi sæviendi materia. Deerat causa atq; prætextus. Quid enim contra Augusti instituta aut veterum legum monita ageret? Impium alterum & abominandum, alterum injustum & à consuetudine prohibitum. Hinc ab utraq; parte profutura gubernatori eruditio, sive quod bonum faciat, sperandum plerumq;, seu quod fraudulentum circumspectiorem tamen, eventurum non nisi rarò & ex casu.

§.3. Sed non omnis doctrinæ species excolenda à Principe veniet. Versa enim in multis Iudibrio addiscendi ars habita pro indecoro. Claudio recitante historiam quam scribere aggressus, exortus risus est. Neronem contra à Philosophia impiè mater avertebat, ab Oratorum cognitione veterum Seneca immature. Ut igitur non omnia addiscere Principi expedit, ita nonnullis esse imbutum, decori haud tantum & ornamento est; sed venustati insuper & laudi.

§. 4. Ordenti hinc brevi exponere, inter reliqua maximè proprium viris Principibus visum eloquentia studere, quod sine ea ad excellentiam aliquam in administratione Reipubl. neminem peventurum existimarem. Neq; magis aut dicit aut movet animos hominum, quam prudens & apta rebus oratio. Quod si calamitas enim ingruat publico & turbari cæperit inter viscera Resp. hæc est quæ malè sentientes ad officium reducit suum.

suum. Bello si aliundē petatur, sola illa facere officium milites docet, & adhibenda Principi unicē certo solatio. Dictator Cæsar summis oratoribus æmulus: & Augusto prompta ac prouersus quæ deceret Principem eloquentia suit. Tiberius artem quoq; callebat, quâ verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. Etiam Caligula turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio quoties meditata dissereret, eloquentiam requireres.

*IV. Historie &*

*Philosophie*

*studium com-*

*mendatur.*

*I. Quoad Philo-*

*soph. Piccart.*

*obs. pol. decad.*

*i. c. 5.*

*II. Quoad Hi-*

*storiam*

*Tac. 4. A. 33.*

§.5. Posthæc *Historie* navare operam poterit & *Philosophia*. Atq; illa, quæ vītē inculcare præcepta potest, rebusq; gerendis adhibere prudentiam, tractanda Principi sapientiæ pars est. De promptis inde optimis gerendarum rerū principiis, quæ provido haut tantum & in publicū consultaturo conducant; sed quoq; concessum in subditos grassari, cumq; vetitum sit, simul ponant ab oculos: Retracturum hoc à nefario incepto, ob luendam superis pœnam: Illud ad Imperii felicitatem futurum emolumento. *Historiæ* etiam studium utile, quod ad exempla mo- veat imitanda & quid quandoq; noxiū aliis, in nobis metuen- dum, demonstret luculentius. *Pauci enim honesta à deterio- ribus, utilia à noxiis discernunt plures aliorum eventis docentur.*

*V. Exercitiis*

*corporis robur*

*acquirat.*

*Cornel. Nep. in*

*pref. 2. & 3.*

*Idem in Epa-*

*minonda c. 2, 20*

*Suet. in Neron.*

*c. 20.*

*Tac. 2. A. 2. it. 2.*

*A. 56.*

§.6. Adolescentem ita ad egregia Principem non parum juvat, si inter laxamenta habeat, quæ magnum faciunt animo & corpore validum. Quamq; discendum hic, non eadem esse omnibus honesta atq; turpia, plura majorum institutis judicari. Epaminondas citharizare & cantare ad chordarum sonum, doctus est à Dionysio. At non Principi Rom. hæc decora. Versum in Nerone id ludibrio, habitum perinde odio est. Parthos accendebat Vonones, diversus à majorum institutis, raro venatu segni equorum cura. Contra favor nationis in Polemonem Regis Pontici filium inclinabat, quod is primâ ab infentiâ insti- tuta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemq; juxta devinxerat. Quid ergò conveniat cum subditorum moribus, attendendum præcipue.

§.7. Cæ-

§. 7. Cæterum formanti imperaturi indelem, laborandum assiduè, ne deflectendi ad nefaria detur Principi potestas. Quoniam protervitas animi non consistit eo in gradu quem tenet semel; sed ultra contendit, donec perveniat ad summa, quod aperta demùm malitia est. At Senecam ais & Burrhum, non adversatos, delapso in amorem libertæ Neroni, eò quod metuerent, ne in supra fæminarum illustrium prorumperet, si illâ libidine prohiberetur. An num verò evulgatus pudor satietatem, ut rebantur, attulit, nonnè potius incitamentum? Poteratne sisti etsi Senecæ ac Burrho visum, ne utroq; delinqueret, alterum concedere? Juvenilis n. animus in deteriora per se pronus, non expletur ejusmodi testamentis voluptatum, sed ad inconcessa omnia extimulatur. Scelera sceleribus tuenda putat. Neq; ad meliora tunc patere regressum. Dionysius minor, ut daret pessum Dionis filium sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Is postmodum usq; eò statum commutatum ferre non poterat, ut vitam cum morte commutare mallet. Quare suadendum potius duxerim honestatis præscripta etiam Principi non esse transgredienda. Nam accidente fortunæ magnitudine, allicit per se mala libido ad maiora, ut vix eidem postmodum resistere queas. Et semel recluso aditu ad nefanda, pergenti viam nullus monentium obstaculo erit.

IV. 'Genera.  
ter cabendum  
ne unq; ad ne-  
faria inclinan-  
di principi de-  
tur occasio.

Rat. A conditi-  
tione humana  
in vitia pronâ.  
Probatur per  
exemplum con-  
trarinm Tac.  
13. A.12.

Tac. 14. A.14.  
Bocel. dissert.

Suet. Neron.  
per exemplum  
probans  
Nepos in Dionis  
IV. 4.

## CAPUT II.

### Complectitur firmandi status consilia.

§. 1. Admoto rerum summæ Principi non usq; tuta satis potentia est. Vetus namq; atq; jam pridem insita mortalibus potentie cupido, cum imperii magnitudine adolevit erupitq;. Plebs invidens Senatui, populum vicissim circumventuri proceres, utriq; invidiosis spectare oculis soliti unius potestatem. Nam quod pertinere ad omnes credidere, cum possidere viderint unum, qui ferre poterunt? Sed rapere ad se potius tentavere, inviso Principe plerumq;, ut inhiante singulorum majestati. Frequens enim inter pop. sectatores opinio est, quæ sitam Regi potentiam à populo oriri. Et cæpisse societate ante Regis impe- rium.

Invisi principi  
potentia  
Tac. II. b.ist.38.

Lips. doctr. civ.  
4, II, 3, it. 6, 5, 43.

rium. Finiendum itaq; si ipsis placuerit: quin reducendam ad initia gubernandi artem. Äquorem sanè & singulorum monitis corrigendam. Ineuntibus igitur stabiendi Principatus consilia, visum est suavi quodam assertæ potestatis delinimento grassari. Reperta indè Imperii arcana sunt, ut præcipua firmandi status munimenta.

Forstn. not. pol.  
in T.I. A.6.

Q. An possint  
adhiberi Re-  
rump. arcana?  
Affirm.

Rat. I. A male-  
bolo subditorū  
animo.

Clapm. arc. 4.

Boxhorn. I. inst.  
pol. c.6.

Tac. I. A.2.

II. A Regis offi-  
cie.

Princeps suc-  
cessor facilius  
imperat qnam  
electus noviter  
aut alio modo  
ad imp. veniens.

§.2. Orta statim ad hæc inter peritos rerum controversia est, concessum ne Principi sit fallere noxiam plebis potentiam & fucata simulandi arte avertere pop. à potestatis magnitudine?

Neq; inanes obvenere rationes, quæ ab affirmantium parte stare moverent. Nam quantumvis legitimo Principatu raro tamen eò felicitatis progressa Resp. est, ut nullum adeò præsentis tædeat status. Semper compositos civium animos comperi ad Reip. pericula, ut nisi clandestinâ quadam gubernandi arte, aut sublati è medio fuerint allaturi perniciē, aut inter noxia impediti, vix sua constare patriæ tranquillitas posset. Multis insuper subditorū confundere ima summis placitum, vel quod succurrant egestati, aut quod scelerum convicti reddantur immunes. Sunt & sublimes satis in quibusdam Rebus p. cives; sed nocituri ob magnitudinem, reperti. Sed & non raro invisæ opes magnatum, tamq; nimia ob potentiam possessorum. Jam verò apertâ in omnes grasari vi, anxum imperantibus foret, ob metuendam suorum querelam de iniquitate. Non relicum igitur aliud, quam quod simultate quadam agendum Principi sit, dissipatâ magnatum facultate velut aliorum criminis, & ferocissimis per fraudem sublati. Data in curam etiam Principi Resp. est, quare vindicanda ab interitu, salvâ omnium utilitate. Quod si non ferire scopum, ob subjectorum ferociam poterit; nihilominus per genda via erit, meandum per anfractus & per obscura atq; insoluta faciendum iter, ne quicquam doli aut fraudis reo Principe; sed per suorum malevolentiam excusato.

§.3. Concesso jam peritorum præcepto, posse uti jura dominationis sic arcana Rerum. quoq; per naturam ac æquitatem adhiberi, diversè obvenient advertenda. Alia successori Principi conditio, alia electo. Utrisq; contendentibus ad summam, sequenti majorum principatum, non æquè soli-

solicita regendi sors obvenit. Nam qui nascuntur Principes, Boec. diss. in eorum regimen minus obnoxium est censuris hominum & sermonibus: At ab electo Principe Resp. judicii sui rationem quotidiè exigit. Seu quod assuetâ in totum imperii ratione, omnes exutâ aequalitate jussa Principis aspectent: sive ferenda dum Tac. I. A. q. 17. Principum ingenia & non tam usui sint crebrae mutationes. Cum A. II. præterea neq; lœdendi adeò injuriis subditi sint, neq; adimenda ipsis jura & immunitates. Ut ideo non tam crebram hic odii causam apud cives crediderim. Quapropter ægrè tum præbenda subditis simulacra libertatis, servatâ quam maiores habuerant potestatis specie. Præsertim non tam obstinato in id ci-vium animo, & ad memoriam priorum facile cessuro. Sunt enim intuta quæ insueta; sed toleranda quæ usurpaveras ante. Obortum inde rerum moderatoribus consilium, multa per majorum autoritatem agere, præsertim dubio rerum eventu: tol-lendamq; ita factorum invidiam esse majorum reverentiâ. Præ-sertim non invisâ eorum gubernatione, ut ex solito omnia geri potest. præsumatur. Sic Tiberius multa in Augustum relegate solitus, dato responso, non fas esse Tiber. infringere ejus dicta. Cumq; adolesceret lex majestatis, crimen distingui postulavit, damnariq; si quæ de Augusto irreligiose dicta esent, in se jacta nolle ad cognitio-nem vocari.

§.4. Sic itaq; inter prima retulerim, ut nullum exemplum inulta in Principem maneat conjunctionis. Usq; eò persuasâ plebe, non manere impunitas Principum cædes etiamsi jure patratas. Ut intutum peræquè & gubernanti censem, occidendi Regem aperte inire consilia, ne proprium denudet latus, dato permisso æquè dignum interficiendi. Et pertinere hæc ad securitatem Principis putandum. Nam observatum ab Augusto: & à Claudio non neglectum legimus. Alexandro item magno, parcendi Lyncistarum fratri causa fuit, servant in eo auspicium suæ dignitatis. Nam Regem eum primus salutaverat. Vitellius etiam omnes Galbae interemptores conquiri & interfici jussit, non honore Galbae; sed traditæ Principibus more munimentum ad præsens imposterum ultionem. Interimere enim Principem scelus est, cuius ulti quisquis successit.

B

§.5. Post-

Boec. diss. in  
Suet. Galb. 5.9.

Machiav. princ.  
c.2.

Hinc facti in-  
vidia majorum  
autoritate telle

Tac. I. A. 77.

Tac. II. A. 50.

I. Ne principis  
inulta maneat  
cædes.

Rat. I. A. sancti-  
tate apud Reges  
residua

Boecler. diss. in  
Suet. Claud.

§.4. Clapmarg.  
arcan. 17.

II. Ab experi-  
entia. Suet. in  
Aug. 10. it. in

Claud. c. 11. Just.

I. II. p. 91.

Tac. I. hist. 40.

**II. Tergober-**  
**sandum in su-**  
**sciendo imp.**  
**Rat. I. A. pop.**  
**natura semper**  
**in adversa pro-**  
**T.I. A.II.**  
**nā**  
**Clapmar 2, 16.**

**II. A commodo**  
**dum ad cognos-**  
**cendos subdi-**  
**torum animos**  
**facit.**

*Tac. I. A. 3.*

**III. Ab exemplo**  
**it. I. A. II. &**  
**Suet. Tib. 24.**  
**Id. in Oth. 7.**

**III. Vitanda**  
**nominis inhi-**  
**dia.**

*Rat. I. Ab ex-*  
*emplo.*

*Suet. in Aug. 53.*

*Tac. I. A. 72.*

*z. hist. 62.*

**z. Quoniam cū**  
**personis simul**  
**nomina odio**  
**baberis cepta.**

**§.5. Posthac multâ præsertim potentia & certo cuncto-**  
**rum suffragio, maximè dissuaserim sive electo Principi sive vi &**  
**armis rebus potito, quod ruat ad imp. & nimio animi impetu de-**  
**potiundâ summâ ineat consilia. Quin deferendum aliis censeas**  
**tam arduum tamq; subjectum fortunæ regendi cuncta onus. Se-**  
**cuturus inde populi ardor, in questus, vota, lacrymas effusus,**  
**versis precibus de capessendâ rerum summâ. Est enim vulgi**  
**ingenium ut ferox satis, ita ni fallacibus captum delinquentis,**  
**ubicunq; contumax atq; protervum. Suasoribus cum primis**  
**asperum, nec facilè obtemperaturum. Quod si duxeris semper**  
**in adversa pronum. Cupientis mox dominandi metuere libidi-**  
**nem, mox avaritiam suspectare solet. Præterea etiam plurimur**  
**momenti confert ad introspectandas omnium voluntates, indè**  
**verba vultus in crimen detorquendi occasio. Non improspera pru-**  
**dentiâ & à multis tentata. Augustus specie recusantis flagran-**  
**tissimè cupiverat. Tiberium etiam de imperii magnitudine**  
**differenter Tacitus infert. Nam coactus quasi & querens misera-**  
**ram & operosam sibi injungi servitutem, recepit imperium, nec tamen**  
**aliter, quam ut depositurum se quandoq; spem faceret. Othoni**  
**quasi rapto de publico & suscipere imperium vi coacto præ-**  
**textus fuit.**

**§.6. Annisuro ita in culmen imp. releganda etiam invi-**  
**dia nominis aut tituli ambitio est. Augustus Domini appellatio-**  
**nem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit, repudiato**  
**etiam patris patriæ nomine à Tiberio, quamq; sapientis ingestus.**  
**Vitelli præmissum in urbem edictum, quo vocabulum Augusti**  
**differret, Cæsar non reciperet, de potestate interim nihil detra-**  
**cturus. Scilicet exosâ possessorum proterviâ, nomina simul**  
**eorum exposita plebis invidiae sunt. Jam uso æquali potestate,**  
**pariter cum nomine invidia manebit. At clementer insignitum,**  
**plebs tamq; momenta libertatis interpretatur. Haud ponderatis**  
**non in insignium splendore residere majestatis vim, esse in**  
**factis. Fuit hoc usui magnis qubusq; rerum moderatoribus,**  
**prætextâ sc. æqualitatis specie corrumpere libertatem. Blanda**  
**indè vocabula ficti verborum ambitus de tuendâ plebis libertate,**  
**sub tutoris nomine aut protectoris. Quibus nonnunquam gras-**  
**sari latius poteris, quam ulli unquam fuerat permisum.**

**§.7. De-**

§.7. Deinde principatus initia modesta & ob facilitatem  
potius quam severitatem populo commendata, firmis nixura  
fundamentis arbitror. Non degenerasse temerè præsumitur,  
qui bonus fuerat deprehensus antè. Nam imbuto semel animo  
specie probitatis, raro contingit pectori exturbari, quod in-  
situ haud tantum, sed naturale velut est. Quare modesto  
primum Principi multa per imprudentiam erunt excusata.  
Etenim non peccare ex destinato putandus, qui virtuti similli-  
mus homo, vitiis mortalium immunis est. Sed lapsus ex im-  
proviso sperabunt plurimi. Pleriq; non nocendi animo indu-  
ctum. Cæterum in viso semel Principe, seu benè seu male facta pre-  
munt. Dionysius indè dissimulatum animum prius ad favorem  
popularium conciliandum intendit, excusatus facturus quod  
statuerat, si probatus ante omnibus foret. Et Tiberium insul-  
tantem ferè per animi procaciam capitibus civium, juvabat,  
civilem admodum inter initia ac paulò minus quam privatum egisse.  
Neroni quinquennium innocenter actum, quo ex Augusti præ-  
scripto imperaturum se professus, diuturniore concessisse im-  
punitatem censeo. Tardum Galba iter & cruentum, introitus in  
urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omne, atq; ipfis etiam qui oceiderant formidolosus, ingens præsertim novis  
rebus materia fuit.

§.8. De cætero contendenti ita summam rerum obtinere,  
eam esse imperandi conditionem dixero, ut non aliter ratio con-  
stet, quam si uni reddatur. Etenim haud per imperii magnitudi-  
nem comparatum aliter, quam cum militiæ incremento est. Pro-  
spera ea & felix, quamdiu unius audire imperium milites con-  
suevere. Cæterum confestim turbida, quam primum plarium  
irrumpere ambitio cepit. Vim ipsam imperii sibi compara-  
verat Augustus, ratus id quod reserat, diviso regni jure, parum  
processura majoris momenti consilia, neq; melius Resp. firmari  
aut attolli, quam pleno unius arbitrio. Nam qui Monarchiam  
instituit, nisi vim ipsam imperii complectatur, successoribus suis  
plus invidiæ quam potentiæ relinquit. Ita consilium Crispo  
Salustio monendi Liviam, ne Tiber. vim principatus resolveret,  
cuncta ad Senatum vocando. Idem Alexander in gerendo totius

IV. Initia Imp.  
modesta

Rat. I. Quia qui  
semel bonus ha-  
betur hunc sem-  
per talem fu-  
turum esse, pu-  
tatur.

II. A Contrario.  
Lip. l. 2. c. 6.

pol. Tac. l. 8.  
hist. 6.

III. Ab exemplo  
probante Ju-  
stin. l. 21. hist. or.

Suet. in Tib. 26.  
Idem in Nero.

c. 10.  
A contrario.  
Tac. l. h. 6.

V. Summa Imp.  
uni reddenda.

T. I. A. 7.  
Rat. I. A simili.

II. Ab exemplo  
Boecl. in Sueti  
Aug. S. 12.

Tac. I. A. 6.  
Forstn. not. pol.  
ad h. loc.

Boecler. not. pol.  
S. 9. ad h. l.

Justin. l. II. hist.  
p. 401.

terrarum orbis imperio præviderat: neg, enim mundum posse duobus solibus regi: neg, orbem summa duo regna, salvo statu terrarum habere putarat. Quare concedenda minimè suaserim majestatis jura; sed contrahendum esse quicquid ubiq; potestatis. In eptâ regiminis specie, qua capessere plures imperium tentavere.

**VI. Præbenda** §.9. Ast tractâ sic in servitium plebe, questus inde & rixæ. patribus hono- Suggerentibus novandarum rerum anxiis, non societatem; sed rum & fītē tanquam mancipia haber. Esse in multitudine robur, meminerint potentie am- superbia Regis, non aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut plitudo. mori ante servitium. Quare ducendi patres per honorem & am-

**Tac.4. hist.14.** bitum, nec imminuenda confestim potentia, manentibus hinc  
**2.A.15.** 2.A.77. indè vestigiis morientis libertatis. Evidem certum est, hono-

**Rat.1. Quia ho-** re vix quicquam majestati esse propius. Vera tamen potentia  
more & ambi- in eodem statuenda minimè. Nam et si sequatur virtutem non  
tioso titulo nul- rarò, saepius perinde relabendo ad indignos fit de honestamento.  
la potentia ac- quiritur. Et quid juvabit verbis esse superiorem, cætera subjici? Præ-

**II. Probatur** termiserat hoc advertere Cæsar, tanquam inane nutantis imperii  
exemplis.

**Suet.in Cæf.78.** levamentum; at temerario tamen magis consilio quam felici.  
**in Aug. 53.** Cum inexpiablem hinc motam ipsi invidiam noverim. Contra  
**in Tib.33.** Augusto quantum comitatis ludibrium præstigit quofo emolu-  
menti? Tiberio excedenti propè humanitatis modum, usur-  
pata in appellandis venerandisq; singulis modestia, immodera-  
ta licentia fuerat instrumentum.

**VII. Præfina** §.10. Exercito his Principi præstitoq;, tum verò propiori  
magistratui vo- jam ad formandum reip. statum, servanda præfina magistratui vo-  
cab. relinqua- cabula. Neq; enim capture ita tedium ex præsenti rerum gu-

**Rat.1. Ne tam** bernaculo patrum societas: & minus animadversâ immutatio-

facile animad- ne, tuta omnia & intrepida. Quod si autem frequentes de im-

vertatur muta- minutâ honoris specie audiantur querelæ, sive quod detracatum  
sa rerum facies auctoritati majestatis ut plurimum seu quod veteri honorum

**Tac.12. A.64.** amplitudini non nihil inhibitum sit, tum non fidum satis pro-

**H. A. Magna** sum naturâ in cerum amore dixerim. Est illud commune excelsæ mentis à plu-

bonores semper ribus reverenter haberi. Neq; tam tenax reperitur unq; aut  
prona.

servandi magis intenta, quam si decedendo honore tractetur

inter æquales. Usq; adeò ut expertum sit, fuisse hanc causam

ever-

overtendarum Rerump. maximam s<sup>a</sup>pi<sup>u</sup>s & inevitabilem fere.

Quod Improsperæ iterum dominationis in Cæsare documen-  
tum fuit. Cum Augusto contra domi res tranquillæ manse-  
rint, iisdem magistratum vocabulis. Tiberius simulationum  
magister, speciem libertatis induxerat quandam, conservatis se-  
natui ac magistratibus & majestate pristinâ & potestate. De-  
prompto à victoribus experimento, quibus ut certa inter victos  
consetet tranquillitas, laxiore prius habere imperio placitum est.

Gnari usitatæ vulgi solertiæ, jactantis non esse dominum tan-  
tum curæ quantum gubernandi rationem. Clementi illâ & pol. 5.  
Boxhorn. embt.  
tolerandâ, perferendos gentium moderatores. Speciosa inde  
magistratum vocabula, independentium, Parliamentariorum  
&c. pretiosâ Principis sarciri licentiâ. Nam viris magnis amplæ  
opes, & tutæ exinde exactiones. Aequatâ honoribus amplitu-  
dine tributorum.

§.ii. At quæ altioris momenti sunt non usquam lin-  
quenda Senatui censerem, quin potius ad obtainenda ea quavis  
arte agatur. Alloquendi igitur milites potestatem inconcessam scribat preter  
dixerim, scribendi ad Senatum licentiam omnibus denegandam..  
Timenda ab utraq; parte novandarum rerum cupiditas, sueta  
inter Senatores apud exercitum grata. Occultâ maximè Pa-  
trum avaritiâ & specie obsequii ad nefarium s<sup>a</sup>pius pronâ. Ple-  
riq; tædio præsentis sperant meliora, præsertim exosâ paulisper  
imperandi ratione. Inter milites ingrata quæ tuta & exteme  
ritate spes plerumq; allicit. Hinc loquentem auctoritate pu-  
blicâ attentio prius & reverentia, mox spondentem meliora, stu-  
dia & favor seqvuntur. Sub Vespasiano præbuit materiam ser-  
monibus, quod miserat Mucianus epistolas ad Senatum, nam si pri-  
vatus esset cur publicè loqueretur, potuisse eadempaucos post dies  
loco sententia dici. Galbae paratum exitium militum defectio-  
ne. Et solum Othoni prosperum ad potentiam, vetustissimum  
quemq; militum nomine vocare, contubernales appellando: inferen-  
do s<sup>a</sup>pius querelas & ambiguos de Galba sermones. Data eâ de re  
exercitui occasio, magis venerari ejusdem potentiam, qui ma-  
jore inter eos fuerat agilitate. Cum qui tractare omnia & su-

VIII. Ne quis  
ad exercitum  
aut senatum  
scribat preter  
principem.

Rat. I. Ab im-  
minente sedi-  
tionum peri-  
culo.

Et quidem. A  
parte Senato-  
rum.

Boxh. inst. pol.  
L.2. c.3. explan.

§.19.  
2. Apartem-  
litum.

II. Ab exemplo.  
T.4. b.4.  
2. b. 23.

1. hist. 23.

itinere opibus solitus, ab eodem crebrior inter milites rumor & ingruente turbâ major formido.

**IX. Largitiones  
potentium impedienda**

*Clapmar. 3. 6.*

*Boxhorn. d. l.*

*Rat. i. A gene-*

*rali animorum*

*habitu.*

*II. A singulari-*

*pleb. & militum*

*cupiditate opū*

*III. Ab exemplo*

*Tac. i. h. 82.*

*l. h. 24.*

*Vell. pat. II. 21. 4*

§. 12. Noxium perinde, non advertere dissipatas inter milites plebemvè opes & crebras largitiones. Etenim pecuniae ostentatione, utrum turbari magis hominum mentes, an in transversum agi credendum, non dixero. Usq; adeò pronâ in possessiones mortalium indole, ut sæpius neq; Deorum reverentiam aut inter homines pudorem, quam pecuniam malint.

Plebe præsertim ludicrâ, facultatum egenâ tumq; cum primis in novarum rerum studium acriter accensâ. Vitellium ferè ob hæc secutus militum amor, quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena. Et publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat. Cinna quoq; eadem arte corruptis militum animis, ab exercitu receptus est.

**X. Splendida**

*privatorum*

*ædificia exosa.*

*I. ob eminentiū*

*invidiam*

*Vell. pat. 2, 40, 5.*

*II. A periculo*

*Regi inde ori-*

*undo*

§. 13. Addiderim etiam quod inter Rerum publ. arcana cœptum referri, ne quis splendide admodum ædificet. Seu quod privato luxui impendatur nimium, sive quod publicis extruendis ædibus navetur opera. Præterquam enim quod eminentia nunquam invidiâ careant, metuit insuper eorum magnitudo. Sicutem fidentiam Princeps uti nimiam & majora ausuram. Sed & plebecula obesæ plerumq; naris est, ut vitrum sæpius præ unione putet. Sicq; allicit magnitudo opum populi insaniam, ut avertere oculos à Principis majestate tentet & venerari aliorum petet ut summam. Infensum Principi & ad extinguendum majestatis splendorem præceps malum. Siquidem vile magnificenter genus quod frequens ferè & inter subditos usitatum. At quo altius supra omnes posita Regis conditio, eo supergredi etiam communem sortem & habere quiddam veluti singulare debet. Quare agitante quondam Augusto de ornanda urbe pro imperii majestate ipse suscepit munus, non temerè gloriatus, c. 29.

*III. Ab exemplo*

*Suet. in Aug.*

*Vell. pat. 2, 89.*

*Tac. 3. A. 72.*

marmoream se relinquere quam lateritiam accepisset. Et quantumvis concessâ viris Principib. reparandæ urbis facultate, non sine ratione tamen arguerat, hostiles tantum exuvias, aut exundantes opes ornatum ad urbis & posterum gloriam conferre. Suberat etiam major adhuc arcani vis, cum modò insertâ cautelâ

telâ æqualiter usurpâ. Evulgata peritorum sententia Arift. 5. pol. 8.  
erat, auri vim atq; opes Principibus esse infensas. Nam supremis T.t. A.13.  
sermonib; cum tractaret Augustus, qui nam adipisci Princi-  
pem locum possent cuperentq; L. Arruntium divitem, prom-  
ptum artibus egregiis, & pari famâ, non indignum dixerat &  
si casus daretur, quandoq; ausurum, Dissipandæ igitur vene-  
rant ob nimium. At possessoris interitu? Id improbum &  
nullo modo ferendum. Quare in sumptus publicè decoros & Boecl. in cit.  
utiles, specie honoris illexerat. Laudatissimo cum primis in Vell. loc.  
stituto. Et enim annuente factum Principe, redundaturum  
inde ad ipsum quicquid inerat splendoris. Molestiâ sumptuum  
ad alios relegatâ. Quorum quam amplæ possessiones, tam  
mala in Principem erat voluntas.

§ 14. Allecta inter dominationis machinamenta & glo-  
ria est propria Principibus semperq; servanda. Et non parum reg.c. 4. S.4. &  
momenti habet, ad parandam ducibus autoritatem, Principis de Rep. c.30.  
minuendam. Nam reversum ab exteris Duce, magisq; pop. Piccart. obs. pol.  
votis ac gratulatione quam Princeps exceptum, otero, sepo- l.4.c.1. Berneg-  
namq; à regia domo. Vertitur favor cum applausu. Et quo- gerus obs. kist.  
usq; laus & preces pertingunt, eodem & amor atq; affectus. 1. Ab ana plebis  
Præsertim potenti Duce ob exercitus vim & a militibus magis inde quâ se-  
quam Princeps amato. Suaserim ergo ministris famam modesti- qui destinat  
amq; suam post Principis habere dignitatem & cuiuslibet reperi- quicquid ubiq;  
culum facere, tum quid illis ex eo gloriæ accedit. Nam inter illos 2. Aprudentio-  
non idem prosperarum adversarumq; rerum ordo erit. Si vincant rum consilio  
bonorem quem dederit Princeps, habebunt: discrimin ac peri- ministris dato  
culum ex æquo partientur. Tiberius Germanici bellicâ gloriâ Salust. 2. orat.  
potissimum angebatur. Id sentiens Germanicus, extructâ ar- Tac. 2. b. 77.  
morum congerie superbo cum titulo, trophæum Tiberio dedi- 3. Ab exemplis.  
caverat. De se nihil addiderat metu invidiæ an quod ratq; consci- T.t. A.52.  
entiam facti esse satis. Non propria hæc Roman. prudentia fuit;  
sed & ad maiores nostros priscos Germanorum parentes trans- 2. A.22.  
lata, quibus præcipuum sacramentum erat sua fortia facta glo- de morib.  
riæ Principis assignare.

§ 15. Pisonem quondam Galba monuerat, imperaturum  
hominibus, qui nec totam servitutem pati possent, nec totam liber- Germ. 14.  
tatem. T.t. b. 16.

XI. Ne quis su-  
mam rci gestæ  
ad se trahat

Boecl. de aust.

reg.c. 4. S.4. &

ad Vell. 2. 79. 1.

MachiaBell. l.1.

de Rep. c.30.

Piccart. obs. pol.

l.4.c.1. Berneg-

gerus obs. kist.

pol. 27.

1. Ab ana plebis

Salust. 2. orat.

ad Cæs. de Re-

publ. ordinand.

Tac. 2. b. 77.

3. Ab exemplis.

T.t. A.52.

2. A.22.

de morib.

Germ. 14.

XII. Imperium

subditorum

morib; accom.

modare.

1. A vario ani- tatem. Senserat non parum allaturum momenti gubernaturo morum habitu. si civium nosset indolem. Nam ferocem & sævum populum non Lips. doct. civ. 5. aliter rexeris, ac indomitum lasciviâ eqvum. Omnia formido-

5. Zebecotius obs. losa, civile parum. Sin cogites clementem gubernatorem, ces- pol. ad Suet. surum furori interpretantur. Jamq; ad turbandam pacem Cæs. c. 15. omnia parata. Adsuento licentiæ aliter longè imperes. Laxatis Berneggerus quandoq; habenis permittas exigua, quod apud alios usurpatum ob. pol. 26. Boe. cler. obs. pol. fuisset crimen. Civili & dicto audienti jura dabis, atq; plus re- ad T. i. A. 9. 5. 9. etorem & cives, quam dominationem cogites & servos. Partho- Forstn. in Tac. i.

A. i. rum tanta barbaries erat, ut virtutes illudere Principum ac pro

Vitiis interpretari solerent. Quare obvia comitas, prompti adi- Tac. ii. A. ii. tus, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia, & quia ipsorum mori- II. Ab exemplo. T. 2. A. 2. bus aliena, perinde odium pravis & honestis. Improsperi Galbae Boecl. diss. in imperii causa, à diverso animorum habitu accersebatur. Nam Suet. Galb. 5. 1. sordida plebs & circo ac theatro per XIV. annos à Nerone ad- T. i. A. 4. Box- horn. de Princ. sueta, haut min⁹ vitia principum, quam olim virtutes verebatur. Rom. disp. 2. Britanniæ etiam incolarum fera olim & distincta ferè à Romanis eb. 6. parendi natura erat. Impositus huic Vect. Bolanus placidus pre- Tac. in vita Agricol. 9. erat quam feroci provincia dignum esset.

XIII. Felicitas Imp. pop. com- nandi rationem, si prospera omnia novo obveniant principati, nihil mendata. I. A natura ple- bis prosperam fuorum fortu- nam exoptantis habebunt reverenter, præsertim non adeò infelici Principe ut

II. Rationem gubernandi tamq; divinitus immissam co- lenti. II. roboduo apud Senatum disserebat, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum, pop. Rom. perinde fuisse metuendos.

Nam solitum ipsi etiam fortuita ad gloriam vertere, ut non tempe-

III. Ab exemplo raverit quin jactaret apud Patres, nulli ante Romanos ejusdem fa-

T. 2. A. 63. stigii viro geminam stirpem editam. Soror enim Germanici Livia,

2. A. 824. nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa erat. Accito indè pop. ad reverentiam & attentionem, non tam faustos rerum progressus, tantam apud conterminas gentes nascituram famam, si per nefas parata gubernatori potentia sit; Esse potius superis curæ nostram felicitatem, non discedendum à Principe cuius cepta Deorum clementiâ secundentur.

S. 17. Cz.

§.17 Cæterum commune etiam magnis quibusq; impe **XIV.** N<sup>e</sup> successoriis ex incerto successore periculum fuit. Agrippæ morte palam <sup>forsit in incerto</sup> facta, Tiberium Nero. dilexerat Angustus, ne successor foret in incerto. Sic enim cohiberi pravas aliorum spes rebatur: simul I. Ab Augusti eligendo certò successorum Imperii prospexerat securitati. Initio Romæ, cum potestas recideret ad Patres, ex dubio successore omnis dissidendi materia provenit. Adductus his Tib. tribuni. ciam potestatem Druso petebat, deinde Agrippam socium ejus potestatis, eoq; defuncto Tib. Neronem dilexit, ne successor foret in incerto. Et deletâ Caligulæ sævitiâ, ascenderant Capitulum Patres asserturi communem libertatem. Galbæ pariter persuasum erat adoptandi Pisonis consilium; sed conatu veloci magis quam optato. Nam Otho æquali nitebatur emergendi studio, certaq; nanciscendi quondam regiminis spe, si quando Galba defecisset. Jam admoto Pisone, cum irrumpere præ favore indignatio & furor, pro spe cæpisset desperatio, accelerato Galbæ interitu sperabat emolumentum. Animadverti indè pro accusata gubernandi arte cæptum, non delendum imp. successo. rem affectatâ ab aliis peræquè potentia. Tollendum è medio Othonem existimassem, aut reticenda tamdiu majestatis consilia. Motus potissimum Tiberii præscripto, dedignantis excessum Augusti prius propalare quam Agrippâ juvēne interempto. Et suspecti invisiq; juvenis ideo festinarat cædem, quod principatus culmini quasi sangvinis vinculo jam olim fuisset destinatus.

§. 18. Non dissuaserim peræquè Principi, circumdatum præsidio esse ad sui munimentum. Inerit haud tantum publicæ vis securitatis; sed majestatis insuper & splendoris. Lubricam plerumq; civium fidem nec tantum intentam magnitudini videmus Regum, ut datâ quandoq; occasione, non revertere ocu- los ad pristinam intendat libertatem. Neq; tranquillum adeò reperiri statum putaverim, cui non cavendum ab exterorum perfidiâ aut extimescendæ eorum vires sint. Jam lacescere Principis corpus, destitutæ Reipubl. minatur cladem & ad debilitan- dam eam hosti plurimum confert. Proprio ob id exitio lapsus videtur Cæsar, neglecto Pansæ atq; Hirtii consilio, qui semper

**XV.** Princeps præsidio sit mu- nitus.

I. A securitate Principis.

Boxhorn. de princ. Rom. disp. 2. th. 6.

Tum contra subditos fir- manda.

Tum contra ex- terorū insidias.

II. Ab exemplo

C

præ-

Vell. pat. 2, 57. prædixerant non tutam inter subditos sedem fore, quæ nisi ci-  
Piccart. obs. pol. vibus infensa sit prematur ab insidiatoribus. Et suo admonuerat  
1.2.8.  
Boecler. disf. in interitu Augustum Cæsar de Imp præsidio comparando, quod  
Suet. August. 5. audaciæ hominum validè & citò & semper opponeretur.

14. c. 49. in vita  
Augusti.

XVI. Nō omit-  
tere sedem Im-  
perii.

T.i. A. 47.  
I. A securitate  
publ. Forstn.  
not. pol. ad

Machiað. Prin-  
cip. c. 3. Zebecco-  
tius ad Suet.  
Cæs. c. 34.

II. Ab exemplo.  
Suet. Tib. c. 3.  
Boecl. disf. in  
Suet. Tib. 5. 14.

T.i. A. 46.  
Clapmar. 3.  
arcan. 5.

T.4. b. 47.

T.4. A. 46.

§.19. Extremæ etiam securitatis munimentum, plurimi  
putavere, non omittere caput rerum undè in omnia regimen. Præci-  
dit enim occasionem turbandi, uti frequentem in regia urbe, ita

Principis præsentia facilè tollendam. Quin & extero hosti poti-

undi summâ rerum non aliud consilium, quam adeptâ urbe, quæ

sedem imperii sustentat. Hinc quantumvis sæiente potentius

hoste & victrici armorum vi in ipsa Reip. viscera grassato latius,

non adepturum tamen prius summam Imperii dixerim, quam

expugnatâ urbe, quæ Spiritum & animum regni visa est conti-

nere. Primus hujus instituti rationem secutus Tiber. est. Biennio

continuo post adeptum Imperium, pedem ille portâ non extulit.

Hinc cum ad nefaria quæq; dissidia delapsus Pannonicî militis

furore esset, quæsitus sæpius, utrumne ex re ipsius fuerit, oppo-

nere potius petulantiae exercitus, inexpertam atq; rudem Drusi

indolem, an egredi urbem & lenire irritatos bellatorum animos

imperatoria autoritate? Laudat politicorum genius constan-

tiam Principis, cui immotum fuerit, non omittere caput rerum,

neg. se remq; publicam in casum dare. Scilicet noverat Prudens

rerum moderator esse Imperii sedem urbem Romam non relin-

quendam insidiis male de Republ. sentientium. Dubium cui ex-

ercituum opponere majestatem imperatoriam debuisset, & qui

absente Imperat. incorruptâ fide & autoritate præcesset, pariter

incertum. Interea euntibus ad exercitum filiis atq; legatis, esse

ad Senatum & Imperatorem remittendi facultatem salvâ Impe-

rat. Majestate. At præsente eo omnia discutienda fore, nihil

inter milites anceps. Concessis nonnunquam quæ cunctatio-

ne potuissent retineri. Præsertim compositis militum precibus

ad vim, quibus si confessim fuerit respondendum non poterit

contradicari. At postea omissâ accuratiore hac dominandi rati-

one, factum ut Sejanus præcipuam insidiandi materiam nancise-

retur, cum impelleret Tiber. ad vitam procul Româ amœnis locis de-

gendas.

§.20. Sie

§. 20. Sic adultâ imperantium domo, & matnrâ exteris **XVII.** Eilia  
nubendi prole, prudentia adhibetur. Matrimonio namq; <sup>principum ne-</sup>  
maximas familiarum vel enectas in sublime vel in præceps datas <sup>privatis elocen-</sup>  
repertum. Natum illinc elocandi Principum filias consilium,  
non dandas eas privatis in matrimonium. Elatam, qui hoc sua- **I.** Ab elata fœ-  
sere, fœminarum mente adspexere, veriti exinde suppeditaturas <sup>minayum men-</sup>  
maritis enitendi incitamenta. Quin & monitas putarim ele- <sup>te semper ad</sup>  
ganti prudenterum præcepto, qui semper timendum aliquid <sup>altiora viros</sup>  
periculi censuere ab his, quibus adipiscendi regii culminis qui- <sup>incitaturâ.</sup>  
dam prætextus est. Nam effervescente in seditiones Republicâ, **Vid. Forstn. not.**  
cum Dux factionis optatur à partibus, nemo tām feralis scena **A.c. 10.**  
autōr aut certior ubiq; aut justior visus plerumq;. Et in interre-  
gnis, quæ non dissidendi materia ex æquiori succedendi causâ,  
prodiit sæpius? Tiberio igitur petente Agrippinâ maritum, **Tac. 4. A. 53.**  
non ignarus quantum è Republ. peteretur, sine responso quam- **Tac. 1. A. 12.**  
quam instantem reliquit. Eodem propemodum consilio in- **Boecler. not. pol.**  
visus eidem Gallus fuit, tanquam ductâ in matrimonium Vipsa- **b. in loc. §. 4.**  
niâ, plus quam civilia agitaret.

§. 21. Quæsitum etiam pro firmandâ gubernandi ratione, **XVIII.** Prin-  
præstarene clementem esse Principem & amari magis, an severum  
& potius timeri. In assertivati subjectis rationibus motus tran-  
sire. Cuncta ego imperia ex Salustio, crudelia, magis acerba, **i. A subditorum**  
quam diuturna arbitror, neg<sup>o</sup>, quém<sup>j</sup> à multis timendum esse, quin **animis ob sev-**  
adeum ex multis recidat formido. Cogitando semper temperatum **ritatem Prin-**  
timorem cohibere animos, aspidum verò in audaciā excitare ja- **cipit certo in-**  
centes, & omnia suadere experiunda. Cum neg<sup>o</sup>, metus cum laude **odium pronis**  
aut sine odio sit: Et ubi inoleverit odium, manere tutum & stabile **Salust. Orat. 1.**  
nil possit. Et inter recondita haberem, non removeri crebrâ **ad Ces. de Rep.**  
animâdversione peccandi licentiam, dari potius materiam repe- **ord.**  
tendi. Sæpius enim quærendò noxiorum perniciem, vertere **Setteca 1. de**  
civitatem & splendidissimo cuiq; parare exitium videberis. **clem. c. 12.**  
Tolerantior semper calamitas quæ plutium imminet cervici. **Buchn. diss.**  
Ergo non in unum exercebis judicia. Semper incusando alios **acad. 160, vol. 2.**  
dabunt convicti sæviendi materiam. Pergenda igitur via erit, **2. Ab incommo-**  
aut si retraharis ab incepto horrore clavis, palam fiet, quibus **74.**  
coercendis fueris impar. Et si prohibita antè & punita tran- **Tac. 3. A. 53. &**  
scendent

scendent penitus subditi, neq; metus ultra neq; pudor erit.  
*Limitatio cum distinctione* 1. Non quod ignoscendum esse omnibus dixerim ex æquo. Quin Seneca 1. de clem. 2. adhibendam suaserim moderationem, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Adverso pariter discrimine inter nocitura letaliter delicta: & admisura ex parte medicinam.  
*Distinct. II.* Acceleratà magis priorum coercitione, alterorum lentà & cessante medeberis. Sunt flagitia à Principe ulciscenda cum ratione, interitum partim ipsi: partim contemtum paratura. (Sanæ rationis enim & æquitatis excessura limites delicta, absq; moderatione ubiq; integrè punienda sunt.) Contemtum conciliatura nescio quo lenitatis consilio, à bonis æquè ac malis Principibus fuerint neglecta. Cæsar inhibere maluit convicia, Suet. in Cæs. quām vindicare. Augusti adeò apta ignoscendi indoles, ut non c. 75. in August. indignando quemq; esse qui de se male loquatur, habuerit satis, ne c. 51. Boecl. diss. in quis male facere possit. Tiberio visum in civitate liberâ, linguam eum §. 11. mentemq; liberas esse debere. Neronem nihil patientius quām maledicta & convicia hominum tulisse, cum primis notabile. Cæterorum non pertexam singula. At quæ in exitium Principis flexere, attendenda cum curâ censuerim. Quamvis accuratius cum dominationis jura tractantur.

Hæc de arcanis.

SOLI DEO GLORIA.



05 A 197



WDM



# Farkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres

Inches

3/Color

6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

POLITICA  
QUÆDAM,  
NCIPIS INDOLEM  
NCIPATUS, TRA-  
MAMENTA  
DE  
ELE Straussen/  
p.t. Decano  
*in proposito*

Straussen.

*tembris bor. antemerid.*

GÆ,  
I, Academ. Typogr.  
LX.

92